

100 A  
341



P. e. 99

3  
DEO TER OPT. TER MAX.  
ANNUENTE

*Disputationum Theologicarum*

IN QUIBUS FUN-  
DAMENTA VERÆ ET  
VIVIFICÆ CONSOLATIONIS PER  
Pontificias, Calvinianas ac Photinianas do-  
ctrinæ cœlestis corruptelas labefactari,  
ostenditur,

TERTIA.

Ad publicam συζητησιν  
proposita

JOHANN GERHARDO  
S. THEOLOGICÆ DOCTORE ET  
in Academia SALANA Professore.

QUAM

*defendendam suscipiet*

DAVID TANCKEN WISMA-  
RIENSIS MEGAPOLITANUS.

*Ad diem Aprilis.*

Horis & loco destinatis.

ANNO M. DC. XVII.

J E N Æ

Typis TOBIÆ STEINMANNI.



V I R I S

*Admodum Reverendis, Clarissimis & Excel-  
lentissimis,*

DN. JOHANNI WINCKELMAN-  
NO SUPERINT.

DN. BALTHASARI MENTZERO.

DN. CHRISTOPHORO HELVICO.

DN. JOHANNI GISENIO.

S S. Theolog. Doctoribus celeberrimis,  
In Giessena incluta Professoribus dignissimis.

*Meis*

*Præceptoribus venerandis,  
Mæcenatibus sibi observantia summis se  
lendis.*

Disputationem hanc Theologicam,  
Grati animi *την μνημον*

*offero & inscribo*

DAVID TANCKEN

RESP.



# DISPUTATIO TERTIA.

## T H E S I S I.

**D**IXimus hætenus de corruptelis Pontificiis, quibus Evangelicæ consolationis fundamenta in Scripturis verè credentibus proposita evertantur, consequens est, ut ad corruptelas Calvinianas accessum faciamus, ac per eandem idem contingere demonstremus.

2. Repetenda autem hoc loco œconomia salutis nostræ, prout superius ex verbo Dei est deducta. In Christo electi sumus ad vitam ab æterno; in verbo Evangelii beneficia Christi nobis offeruntur fide amplectenda ad justificationem & salutem. Ex hoc fonte omnis solida & efficax consolatio profluit.

3. Calviniani limpidum illum consolationis fontem turbidis suis commentis ex corruptæ rationis lacunis haustis contaminant. De Electione docent; *Deum ab æterno absolutum aliquid fecisse de-* *De electione  
& reprobatione.*  
*cretum, quo certos quosdam homines absq; intuitu fidei in Christum ad vitam elegerit, reliquos verò omnes absq; intuitu impenitentia & incredulitatis ad damnationem reprobaverit.* Calv. lib. 3. Institut. cap. 22. §. 11. Beza in annot. cap. 9. Rom. Zanchius in miscell. f. 302. Rennech. in aurea salutis catena f. 37.

4. Nimirum statuunt, Deum ab æterno sibi proposuisse quosdam homines salvare, quosdam damnare, atq; hoc esse velut primum Dei decretum. Illud ut executioni dari posset, Deum decrevisse, ut primi homines peccarent, suoq; lapsu se & omnes posteros exitio involverent, ut occasionem & materiam suæ tum misericordiæ, tum justitiæ exercendæ haberet, atq; hoc esse q. alterum Dei decretum. Ex damnata ac perdita illa humani generis massa Deum quosdam absolutâ gratiâ, hoc est, quoscunq; libuerit, selegisse &



illis Christum Mediatorem, prædicationem Evangelii & fidem ordinasse, ut per hæc media salutis fiant participes; reliquam verò multitudinem ex absoluto Dei odio, quia itidem ipsi sic libuerit, à salute & mediis salutis ab ipso esse rejectam, contra v. ad peccata & causas damnationis esse prædestinatam. Hanc esse genuinam Bezae, Zanchii, Piscatoris & aliorum sententiam concordati non negabunt.

5. Fatemur tamen inter architectos absoluti illius decreti esse opinionum divortia. 1. Quidam enim objectum electionis ac reprobationis constituunt homines nondum conditos, Beza resp. 2. ad Colloq. Mompelg. p. 148. quidam verò *ἀπέγνωσται* lapsus electionis ac reprobationis decreto substernunt. Perkinf. de prædest. p. II. Keckerm. lib. 3. System. Theol. cap. I. p. 308. Polan. in didascal. de præd. p. 149. Bucan. loc. 36. p. 400. Contra Remonstrantes in Collatione Hagæ Comitum habita Anno 611. edita Zirixæ Anno 615. pag. 37. hanc opinionum diversitatem non negant, sed excusant hisce verbis: *Quoad sententiarum diversitatem in hoc argumento, quod Deus hoc decreto hominem respexerit nondum creatum, vel creatum & lapsum, quia hoc ad fundamentum hujus doctrine non pertinet, libenter alii alios Christianà equitate toleramus.* 2. Quidam simpliciter dicunt, reprobationem non ex prævisis malis operibus, sed ex libera & sola Dei voluntate pendere, Zanch. de Nat. Dei lib. 5. cap. 2. part. 4. resp. ad object. 14. Polanus in didasc. de prædest. p. 130. quidam verò constituunt duos reprobationis actus, unum negativum, alterum affirmativum, priorem dicunt esse absolutum, posteriorem verò respectum continere ad peccata. Perkinf. de prædest. p. 25. Trelcat. in Locis p. 29. Keckerm. in Syst. Theol. p. 208. 3. Quidam statuunt ex decreto illo absolutæ reprobationis sequi desertionem gratiæ, peccata & ipsam damnationem, Zanch. in miscell. f. 229. Pisc. de prædest. th. 92. Bucan. in Locis pag. 403. Quidam v. negant esse easdem reprobationis & damnationis causas. Polan. in didascal. de prædest. p. 149. 4. Reprobationem speciem prædestinationis statuit Polanus in didasc. de prædest. pag. 130. illud verò refellit Keckerm. lib. 3. Syst. Theol. cap. I. p. 296.

6. Quinimò in Belgio Arminius & alii quidam ipsum secuti Grevinchovius, Arnoldus, Episcopus &c. Remonstrantes dicti, *horribile* illud decretum (sic enim Calvinus ipse appellat lib. 3. Instit. cap. 23. §. 7.) planè negant, & quos in aliis confessionis socios habent,

habent propter illud impugnant, ubi probè notandum, qua occasione lux veritatis in hoc articulo ipsis affulgere cœperit.

7. Eam verò commemorat Petrus Bertius in oratione de vita & obitu D. Jacobi Arminii Disputationibus ejusdem præfixa, *Circumferebatur inquit, quorundam piorum manibus libellus à quibusdam fratribus in Ecclesia Delfensi scriptus adversus Beza[m] hoc titulo: Responsio ad argumenta quaedam Bezae & Calvin[i] ex tractatu de prædestinatione in cap. 9. ad Rom. Eum libellum D. Martinus Lydius, qui antea Pastorem egerat in Ecclesia Amsterdamsi, tunc verò Professorem agebat in nova Frisiorum Academia, trans miserat ad D. Arminium, rogaveratq[ue] ut adversus Delfenses patrocinium susciperet Bezae. Non erat omnino ab hoc instituto Arminius alienus, recens enim ex Schola Genevensi auribus circumferebat sonum lectionum & argumentorum Bezae, accingit ergo sese operi, sed dum molitur refutationem, dum argumenta utrinq[ue] expendit, dum confert Scripturas, dum se torquet ac fatigat, vero victus primùm secutus est sententiam illam ipsam quam oppugnabat, postea in eam divinâ virgulâ & Spir. s. ductu delatus est, quam ad finem usq[ue] vitæ constanter adseruit, decretum scil. Dei aternum in prædestinatione non esse, e[ss]e præcisè & absolutè ad salutem quosdam, quos nondum decrevisset creare, quod voluit Beza, neq[ue] veròposito decreto creationis & præviso lapsu quosdam citra antecedentem rationem Iesu Christi, quod volebant Delfenses, sed ex creatis & lapsis eos, qui vocanti Dei verâ obædientiâ fidei responsuri essent, quod à Melancthone & Hemmingo & aliis permultis assertum est.*

8. Gratulamur illis de hac veritatis luce in illo articulo ac ferriis gemitibus Deum precamur, ut in reliquis etiam articulis ex cœno opinionum Calvinianarum ipsos extrahat, quod futurum speramus, si relictis cœcæ rationis tenebris claram Scripturæ lucem nobiscum sequi velint.

9. Monemus tamen, sedulò uti caveant, ne pedem unum ex cœno errorum Calvinisticorum de absoluto electionis & reprobationis decreto extrahentes, pedem alterum in cœnum Pontificiorum vel Photinianorum errorum infigant. Neq[ue] enim probari nobis potest, quod Arminius in tract. peculiari de genuino sensu cap. 7. ad Rom. Lugd. Anno 1612. edito contendit, *Apostolum ibi non loqui de seipso, neq[ue] de homine sub gratia existente, sed personam in se transfuisse homini sub lege constituti.* Quid Vorstius lectione Photinianorum librorum scripserit, publicè constat. In Colla-

tione Anno 613, inter sex Ecclesiastas Delphis Batavorum habita contra Remonstrantes à Remonstrantibus postularunt, ut Confessionem suam de satisfactione per Christum præstita de justificatione fidei, de imputatione justitiæ Christi, de imperfectiõne operum, de peccato originali &c. verbis perspicuis & disertis ederent, quod ipsi facere recularunt, quo nomine graviter eos perstringit Sladus in append, discept. primæ contra Vorstium p. 22.

10. Reliquos verò videl, contra Remonstrantes in Belgio & reliquos in Germania, Anglia &c. Calvinianos, qui absolutum istud electionis ac reprobationis decretum adhuc propugnant, graviter monemus, ut maturè cogitent, per illud veræ ac solidæ consolationis fundamenta penitus convelli, nuncium igitur illi dogmati prorsus mittant, nec verborum cortice illud ulterius incrustent.

11. Pareus in Irenico cap. 28. inter articulos Calvinianis falso impositos sextum constituit illum, quod *Deus majorem partem generis humani ad interitum & damnationem creaverit & ordinaverit nullo peccati respectu, tantum ideo quia sic placuit ei, potentiam & iram suam in pereuntibus declarare.* p. 254.

12. Respondet verò dupliciter, 1. licet articulus iste, ut sonat, rationi humanæ videatur iniquissimus & mille cavillis sit obnoxius, totum tamen secundum omnes partes (modò mentes nostras ad Deum attollamus & in nosipos reflectamus, quis sit ipse, qui simus nos, cogitantes) esse non tantum verissimum, sed & justissimum, summeq; adorandum, quod probare conatur ex Rom. 9. v. 20. 21. 22. *Nulla mens pia est (inquit) quæ hinc non intelligat, Deum habere absolutam jus in suas creaturas & homines multò magis quàm figulus habet absolutum jus in lutum & vasa sua formandi & ordinandi ea ad decus vel ad dedecus absq; injustitia prout voluerit.* Ex hoc igitur jure absoluto si Deus majorem partem generis humani ad interitum creasset & ordinasset absq; peccati respectu saltem propter gloriam suam, multò minùs injurius cuiquam esset, quàm figulus luto & vasis suis, nec magis accusari posset quàm si majorem partem generis humani prorsus non creasset, vel si quos creavit homines, creasset boves vel asinos.

13. Addit autem 2. *etsi Deus absoluto suo jure omnes homines ordinare poterat ad interitum si voluisset, tamen quia se non tantum absolutum Dominum sed & justum judicem declarare voluit, absoluto suo jure in ordinandis aliquibus ad interitum non est usus, ne quis sibi factam iniuriam*



viam criminari posset, sed est usus jure ordinario & revelato in lege, quæ dicit: anima quæ peccaverit, morietur. Item, Hoc est jus Dei, ut qui talia faciunt, digni sint morte; h. e. ordinavit ad damnationis pœnam, non utiq; innocentes, sed peccatores in Adamo: In Adami enim corrupta perditionis massa omnes insuitus, quos non elegit in Christo & ordinavit ad gratiam & gloriam indebitam ex misericordia, eos reprobavit ad iram, h. e. ad pœnam peccato debitam ex justitia: hoc vult Apostolus vocando electos vasa misericordie parata ad gloriam, reprobos vasa iræ adaptata ad interitum. Ira n. supponit peccatum, quia Deus non irascitur creature nisi ob peccatum. Ira est pœna, quam ex ordine justitiæ nulli irrogat Deus nisi ob peccatum, ad iram igitur, hoc est, ad pœnam neminem ordinavit nec ordinat nisi ob peccatum, juxta legem, anima quæ peccavit, ea morietur.

14. Priorem sententiam (inquit) Lutherus, Melancthon, Calvinus & aliqui ex nostris nullo utiq; errore, sed stricto veritatis rigore, tanquam Deo adversus superbiam ingenii humani magis gloriosam defenderunt, non tamen omnes: ad præcidendas enim inanes carnis argutias, multi Augustini moderationem sequi maluerunt, nullo rursus errore, quia & absolutum & legale jus Deus habet in homines.

15. In hoc Parei discursu multa jure desideramus. 1. Qui ex Calvinianis priorem sententiam defenderunt & adhuc defendunt, illi non loquuntur de jure quodam Dei absoluto, quod in actum non fuerit deductum, sed de ipso facto, hoc est, non quærunt, quid Deus facere poterit, sed quid reverâ fecerit. Pareus igitur & mentem ipsorum & quæstionis statum pervertit, quando assertiones eorum de jure aliquo absoluto, quo Deus non fuerit usus, interpretatur. Audiat Pareus seipsum: Totus hic articulus, inquit, secundum omnes partes est verissimus, quod scilicet, Deus majorem partem generis humani ad interitum & damnationem creaverit & ordinaverit, nullo peccati respectu, tantum ideo quia sic placuit ei potentiam & iram suam in pereuntibus declarare. Atqui verba hujus articuli non agunt de jure, quo Deus ad damnationem aliquos poterit creare, sed de facto, quod reverâ majorem humani generis partem ad interitum & damnationem creaverit.

16. 2. Dictum Apostolicum Rom. 9. v. 20. nequaquam patrocinarij architectis absoluti decreti ostendimus in tract. de electione. §. 100. ubi ex Apostolico contextu & parallelis Scripturæ locis virosam adversariorum applicationem confutavimus.

17. 3. De jure absoluto & de Deo absoluto non est quod multis disputemus, cum de jure ordinario & de Deo revelato ex sacris literis contrarium manifestè colligatur. Si enim ira presupponit peccatū, ac Deus non irascitur creaturæ nisi ob peccatum. si ira est pœna quam ex ordine justitia nulli irrogat Deus nisi ob peccatum ac proinde ad iram, h. e. ad pœnam neminem ordinavit nec ordinat nisi ob peccatum, ut rectè & Scripturis conformiter Paræus loquitur. utiq; falsum & impium est asserere, quod Deus absq; peccati respectu majorem generis humani partem ad interitum & damnationem creaverit & ordinaverit. Pulcrè Fulgentius lib. 1. ad Monim. *Certum est, iram Dei dici non posse, nisi ubi creditur hominis iniquitas præcessisse.*

18. 4. Quod absoluti decreti defensores una cum Calvino etiam Lutherum & Melanchthonem statuit, in eo asserendo veritatem lædit. Lutherus in comm. c. 26. Genes. p. 353. mentem suā rectissimè exposuit atq; à Deo abscondito ad Deum revelatū nos revocavit, cum qua explicatione conjunge comm. in cap. 17. Joh. tom. 4. Witeb. in cap. 1. Gal. tom. 1. Witeb. concionem 2. de Festo Nariv. in Post. domest. Melanchthon in primis locis & in commentariis ad Romanos durius locutus est, sed publicè illud in posterioribus Locorum editionibus correxit & absolutum decretum appellavit *fatum Stoicum & tabulas Parcarum.*

19. 5. Nec posterior sententia, quam Paræus moderatiorem vocat, Scripturis sacris conformis est, quippe quæ testantur, Deum serriò velle omnium hominum conversionem, Christum pro omnium hominum peccatis satisfecisse, in verbo Evangelii omnibus offerri beneficia Christi & c. ut ostendimus in tract. de Elect. §. 57. & seqq. quæ hypotheses cum absoluto reprobationis decreto, ( si vel maximè objectum ejus statuatur homines in corrupta perditionis massa considerati ) nunquam conciliari poterunt.

20. 6. Rectè quidem asserit Paræus, *Deum non nisi ob peccatum aliquos reprobasse*, sed addendum erat, non nisi ob prævisum impœnitentiæ & incredulitatis finalis peccatum reprobationem esse factam. Cum enim per Christum Mediatorem pro omnium hominum peccatis sufficientissimè satisfactum sit, idèd. à decreto electionis & salute æterna nulli homines absoluto quodam reprobationis decreto exclusi sunt, sed illi solum reprobari & ut quibusdam ex Calvinianis loqui placet, *præteriti* sunt, quos Deus in finali

finali impœnitentia & incrêdulitate perseveraturos ab æterno prævidit.

21. 7. In eo quoq; *Ἐπιλόγῃ* h. fover Paræus, quando ad iram sive pœnam ob peccatum reprobos à Deo ordinatos esse scribit; illud enim sic intelligit, (certè talvis doctrinæ suæ hypothefibus, aliter intelligere nequit quam ~~quomodo~~) quod Deus ex absoluto quodam odio illos, in corrupta perditionis massa constitutos, ad damnationem, & damnationis causam proximâ, incredulitatem scil. & impœnitentiam ordinaverit; articulo enim proximè præcedente 3. improbat nostram explicationem, quâ Deus dicitur mala facere, quia ea fieri permittit.

22. Absolutum illud reprobationis decretum esse perpetuæ dubitationis fontem, ac veræ consolationis Evangelicæ fundamentum convellere, ostendimus in tractatu de Electione §. 181. & seqq. ex quo pauca hûc referemus.

23. Sit aliquis, qui dubitet, an sit in electorum numero, quâ tentatione Calvinus lib. 3. Instir. c. 24. S. 4. *fateretur esse omnium periculiosissimâ*, quomodo is erigendus. Respondent adversarii, ex 2. Cor. 13. v. 5. *Vos ipsos tentate. si estis in fide; ipsi vos probate, an non cognoscitis vos ipsos, quia Iesus Christus in vobis est? nisi forte reprobi estis?* & ex 1. Joh. han. 5. v. 10. *Qui credit in filium Dei, habet testimonium in seipso*, unde colligunt, eum qui cernit in se prædestinationis effecta, h. e. qui videt se efficaciter vocatum, qui sentit se justificatum, donatum fide atq; studio bonorum operum, certissimè sibi persuadere debere, se esse ex numero prædestinatorum.

24. Non improbatum, certitudinem electionis ex interno fidei testimonio & pietatis studio arcessere, cùm Paulus 2. Cor. 13. v. 5. & D. Petrus 2. Epist. 1. v. 10. eò disertè nos remittant, interim tamen addimus, præsupposito absoluto reprobationis decreto, hoc esse insufficient.

25. Quid enim fiet, si tentatus fidem actu non sentiat? quod in gravibus tentationum paroxysmis sæpius contingere res ipsa testatur. Is sic procedet juxta Calvinianæ doctrinæ hypothefes. *Fidem actu non sentio. Ergo nec habeo. Fidem non habeo à Deo datam. Ergo is dare noluit. Quod autem noluit in tempore, ab æterno dare noluit. Ergo etiam ab æterno me reprobavit, & quidem absoluto ac invariabili decreto, Quomodo igitur talis homo erigendus?*

B

26. Re-

26. Respondet Zanchius lib. 5. de Nat. Dei cap. 2. pag. 648. *Quisq; tenetur credere, se ad salutem eternam in Christo esse electum, neminem hic excipimus, ne reprobos quidem.* At hoc frivolum est, Nemo tenetur credere quod falsum est, omnes, etiam reprobos electos esse juxta ipsummet Zanchium falsum est. Ergo id nemo tenetur credere.

27. Si dicas, in Christo omnes sunt electi, quilibet ergo & sic etiam tentatus tenetur credere, se in Christo electum esse, respondebit tentatus ex hypothesi adverbiorum, illos solum Christo Redemptori esse datos, qui absoluto decreto prius ad vitam electi: illos vero qui in tempore non credunt, non esse electos. Ergo nec Christo Redemptori datos, se non sentire fidem. Ergo nec habere. Ergo nec electum esse. Ergo nec Christo Redemptori datum. Ergo nec in Christo electum.

28. Aut ergo deferendum absolutæ reprobationis <sup>progreß</sup> aut tentati animus ejus intuitu ita conturbabitur, ut nullam consolationem videre vel invenire possit, unde quidam ex adversariis disertis verbis fatentur, reproborum animis nullam consolationem infillari posse, cum non possint Evangelio credere, Pisc. de prædest. th. 85.

29. Comprobat hoc triste exemplum Petri Hosvani Scholæ Cyngerinæ in Ungaria Rectoris, qui referente Georgio Majorie in comm. 2. Tim. 2. fol. 1109. & Esaia Silberfchlagio conc. 6. de prædest. lit. P. juxta externum hominum aspectum ac judicium, sanctam vitam egit, sed postmodum Anno 62. die 22. Julii seipsū suspendit relictis Testamenti loco in scheda annotatis hisce verbis Peccatum in Spiritum sanctum est, hominem peccando cum Deo ludere & ita undiq; sententiâ legi divine constructum teneri, ut quo evadat, nesciat, sed ipse sese reum æternæ damnationis pronunciet, quod mihi misero nunc accidit, ut æternis damnationibus addictus detur ad non finiendam tartarâ. Externa sanctitate Deum fallere non possumus. O me infelicissimum omnium, quia satius fuisset me nunquam natum! Verum est, certum esse numerum salvandorum, hoc ex me (animadvertite) sed quid ad me? hoc ita necessarium fieri debuit. Nemo igitur argumentetur. Deus omnes vocat, longè secus se res habet. Calvinî sententiâ de certo prædestinatorum numero, Item Augustini quisq; teneat; de me intelligo, quemlibet ante uterum matris prædestinatum vel ad vitam vel ad mortem, quod nunquam quicumque nisi in horamortis cognoscere potest. Ego sum ex numero damnatorum, ergo Deo nunquam ascribi possum. Hoc cerid credatur rectum esse, quod Paulus. Rom. 9. scribit.

bit. Misereor, cujus misereor. Damnatus ab initio damnatus & justificatus ab initio justificatus. Neminem per externa bona opera aut mala opera salvat aut condemnat Deus, sunt occultiores cause. Vado igitur eternum dedecus patria, sui signentum & vas formatum in ignominiam. Nunc omnium peccatorum me aggressa est magnitudo, nunc honor Diaboli malus. Discedo igitur ad lacus infernales. Deo vos commendo, cujus misericordia mihi negata est. Occultior est autem hujus rei causa, quam ut humana ratio perspicere possit.

30. Sed nec illi qui fidem sentiunt, salvis doctrinae Calvinianae hypothesebus ex sensu illo fidei certo statuere possunt, se esse in numero electorum. *Esti* (inquit Calvinus lib. 3. Instit. cap. 2. §. 11.) *In fide non illuminantur, nec Evangelii efficaciam verè sentiunt, nisi qui præordinati sunt ad salutem, experientia tamen ostendit reprobos simili ferè sensu atq. electos affici, ut ne suo quidem judicio quicquam ab electis differant. Et postea: Nihil obstat, quod minus præsentis gratia sua sensu, qui postea evanescit, Deus aliquos (ex reprobis) illustret.*

31. Stante eà hypothese, ex sensu præsentis gratiæ & fidei non potest quis certo statuere se esse in numero illorum quos absolute electos statuunt, semper enim dubitare cogitur, an fides illa, quam in sese sentit, sit vera electorum fides.

32. Neq; hic recurri potest ad effecta fidei, quasi ex illis quis certus esse possit, se habere veram illam electorum fidem, quia adversarii dicunt omnia illa in reprobis quandoq. locum habere secundum ipsorum reproborum & aliorum opinionem: quomodo igitur ex illis juxta adversarios certi quid de vera electorum fide colligi potest?

33. Leprosi à Christo Luc. 17. v. 14. sanati ac postea ab ipso deficientes juxta sententiam Calvinii in comm. non habuerunt veram & vivam fidem electorum propriam. Quid verò in mea fide invenio (dicit tentatus) quod non in illorum fide ostendi possit? *Apparet* (inquit Calvinus) *omnes fide quadam fuisse imbutos, non solum quia Christi opem implorant, sed magistri titulo eum insigniunt. Porro ex animo non fide sic locutos esse, ex promissa eorum obædientia colligitur, quamvis enim fætidam adhuc scabiem in carne sua conspiciant, simul tamen ac jussi sunt se ostendere Sacerdotibus, parere non detrectant, adde quod nunquam nisi fidei impulsu profecti essent ad Sacerdotes &c.*

34. Hæc fuere signa fidei satis evidentia, confugiunt ad Christum, opem ipsius implorant, certi sunt ipsum & velle & posse auxiliari, promptè obædiunt ejus præcepto, & tamen novem ex illis non habuere veram electorum fidem, Quid verò signorum ac proprietatum in sua fide inveniet tentatus, per quod hanc leprosum fidem antecellat & ab ea specificè distinguatur? nihil omnino, nisi si solam perseverantiam, quæ cum ex hypothesi Calvinianorum, itidem ab absoluto & abscondito electionis decreto dependeat, in quo tandem conscientia tentati conquiescet?

35. Ex solo igitur fidei sensu de electionis certitudine non potest pronuciari, si ipsum fidei fundamentum, benefica scilicet Dei omnium hominum salutem serio expetentis voluntas, meriti Christi & promissionum Evangelicarum Universalitas per signum absolutæ reprobationis negetur.

36. Deducendus autem est tentatus ad promissiones Evangelii, quæ testantur Christum esse totius generis humani Redemptorem ac beneficia ejus omnibus serio à Deo offerri fide apprehendenda, atq; has promissiones obsignari, confirmari & applicari usu Sacramentorum.

37. Quod si dicat tentatus, *se non sentire fidem; ergo nec habere, ergo nec ad se pertinere gratiam Dei & meritum Christi, ergo nec electum esse*, respondendum ipsi ex verbo, Deum velle ut credat ac beneficia Filii sibi applicet, atq; eo sine in verbo Evangelii gratiam suam & Christi meritum ipsi offerre, idq; Sacramentorum sigillo confirmasse. Promissiones gratiæ non esse absoluto quodam decreto reprobatorio ad certos homines restrictas, quinimò Sacramenta esse evidens testimonium, quod ad ipsum in specie illæ pertinent, cum susceperit Baptismum, qui est *stipulatio bonæ conscientiæ erga Deum* 1. Pet. 3. v. 21. cum in sacra coena corpus & sanguinem Christi accipiat, illud scil. corpus, quod in mortem pro peccatis nostris traditum, illum sanguinem qui pro peccatis nostris in ara crucis effusus, cum in absolutione à peccatorum nexibus solutus ac liber pronuncietur.

38. Adversarii verò non possunt vacillantem tentati hominis fidem eo modo erigere. Negant enim promissionem gratiæ esse Universalem, dum ad quosdam duntaxat absoluto decreto electos eam pertinere statuunt; negant verbum Evangelii voluntate

tate Dei antecedente eo sine omnibus offerri, ut convertantur & salventur, dum illis quos absoluto decreto reprobato statuunt, eo sine illud offerri statuunt, ut magis indurentur & eorum damnatio augeatur. Negant per Baptismum omnes infantes regenerari, cum in eorum numero sint longè plurimi absoluto decreto rejecti. Negant omnes ad sacram Cœnam accedentes corpus & sanguinem Christi accipere, cum pro illis, quos absoluto decreto reprobato fingunt, corpus Christi non sit in mortem traditum, nec sanguis ejus pro illis in ara crucis effusus, quæ omnia ex sequentibus erunt clariora.

39. Etenim ut catena illa non aurea, sed ferrea, non salutis & consolationis, sed exitii ac desperationis, quam absolutæ reprobationis defensores fabricant, sit conspectior, singulas ejusdem anulas pressius considerabimus.

40. Ex absolutæ reprobationis figmento provenit, i. quòd negant beneficam Dei omnium conversionem & salutem seriò expectantis voluntatem, quam Remonstratenses in Belgio ex Scripturis sacris nobiscum asserunt, Beza p. 2. resp. ad Coll. p. 194. *Hoc dico, nunquam tempus fuisse, vel esse, vel futurum, quo voluerit, velit aut voliturus sit Deus singulorum misereri.* Rennech. de prædest. p. 114. *Illi qui Deum omnium misereri & singulos salvari velle sibi imaginantur, toto cælo errunt & magnum peccatum committunt.*

41. Pareus inter articulos Calvinianis falsò impositos septimo loco numerat eum, quod *Deus nolit omnes homines salvos fieri, etiamsi velint* p. 258. respondet autem hoc modo: *Fult Deus & non vult omnes homines salvari diversâ ratione. Vult omnes servari, si omnes credant in Filium. Non vult omnes servari, si non omnes credant in Filium. Sed manet (inquit) quæstio, cur non omnes credant? dicunt, quia non omnes volunt credere. Verum est, sed rursus oritur quæstio, cum fides sit donum Dei & Deus possit omnibus dare fidem, cur non omnibus det fidem, vel cur non in omnibus efficiat ut velint credere, quod tamen efficere in omnibus poterat? hic cogitur humana ratio audire Filium Dei dicentem Matth. 11. v. 26. etiam Pater, quia sic placuit tibi. Denique vult omnes servari seriâ invitatione, non vult omnes efficaci gratia.*

42. Atqui i. involvitur status controversiæ per insidiosam illam appendicem, *etiamsi omnes velint.* Hoc propriè inter nos & adversarios

farios quæritur. An Deus serio velit omnes homines salvos fieri, an verò absoluto quodam decreto aliquos & quidem maximam hominum partem rejecerit, quos ex absoluto quodam odio salvos fieri nolit. Prius affirmamus nos ex dictis Scripturæ Solis radio scriptis Ezech. 33. v. 11. Rom. 11. v. 32. 1. Tim. 2. v. 4. 2. Petr. 3. v. 9. Vide tract. de elect. §. 58. Posterius affirmant Calviniani. 2. *Deum velle omnes servari si credant*; ac *Deum non velle omnes servari, si non omnes credant*, rectè dicitur, sed tamen rectè explicandum, nimirum ut illud referatur ad voluntatem antecedentem, hoc ad consequentem, quæ distinctio exposita & confirmata est dicto tractat. §. 78. sed Pareus longè aliter explicat, *Deum sc. velle omnes salvari, si credant voluntate revelatâ, interim voluntate suâ absconditâ quosdam absolute nolle salvari*. 3. inde est quod causam, quare non omnes credant, quærit in abscondito quodam Dei decreto, quo constituerit ex absoluto quodam odio illis nolle dare fidem. 4. Scriptura v. causam hujus rei in ipsis hominibus nobis monstrat, uti latè expositum fuit d. tract. §. 139. nequaquam verò in absoluta & abscondita quadam Dei voluntate revelatâ in verbo contraria. 5. Dicitum Christi Matth. 11. v. 26. describit consequentem sive judicariam Dei voluntatem, nequaquam verò probat absolutum reprobationis decretum, ut latè demonstratum fuit d. tract. §. 187. 6. Quid de distinctione inter seriam invitationem & gratiam efficacem statuum sit, paulò post expeditum dabitur.

43. Quicquid igitur prætexat Pareus, cerrum est, quod nervum illius erroris adhuc retineat, *Deum sc. absoluto odio quosdam reprobasse, quos salvari nolit*. At hac assertionem labefactatur Evangelicæ consolationis fundamentum. Quòd si enim quidam eorum, quibus Deus in verbo Evangelii gratiam suam offert, absoluto & abscondito quodam decreto simpliciter à salute sunt rejecti, perpetuò unicuique dubitandum erit, an sit in numero illorum absolute electorum, an verò pertineat ad classem absolute reprobatorum.

44. Quod si urgentur apertis illis Scripturæ dictis, quæ diserte testantur, *Deum velle omnes salvos fieri*, confugiunt ad distinctionem inter *voluntatem signi & beneplaciti*; inter *voluntatem revelatam & absconditam*. Voluntate signi & revelatâ dicunt Deum velle omnes salvari; sed beneplaciti & absconditâ voluntate quosdam à salute simpliciter exclusisse. Martyr. class. 1. locor. cap. 14. art. 38. Keckerm. lib. 1. Syst. Theol. c. 7. p. 140. &c.



45. At præterquam, quod hac ratione statuuntur in Deo contradictoria voluntates, cum eum quem voluntate signi & revelata vocat ad regnum suum & gratiam suam illi offert, eundem voluntate beneplaciti & abscondita nullo incredulitatis respectu damnationi devovisse statuitur; quâ de re latè egimus tract. de provid. §. 113. & tractat. de elect. §. 71. & 130. illud hoc loco duntaxat urgemus, quòd per distinctionem illam sensu Calviniano acceptam nervi Evangelicæ consolationis iterum incidantur.

46. Si n. de salute nostra præter voluntatem signi in verbo revelatam est alia quædam beneplaciti voluntas abscondita, utiq; ex dictis Scripturâ, quæ de salute nostra agunt, non potest certum & immotum consolationis fundamentum peti, siquidem perpetuò dubitare cogimur, an voluntas beneplaciti in Deo abscondita congruat cum voluntate signi in verbo revelata.

47. Liberat autem nos ab hac dubitatione ipse Christus, quando Johan. 15. v. 15. pronunciat, *sefe omnia, quæcunque audivit à Patre suo, nota fecisse* Apostolis, liberat Paulus, quando Actor. 20. vers. 27. testatur, se Ephesiis *annunciassè omne Dei consilium*, ac quando 2. Tim. 3. vers. 15. asserit, Scripturas sacras nos *posse σοφίαν sapientes reddere ad salutem*.

48. 2. Ex fonte absolutæ reprobationis profluit, quòd statuunt Deum quosdam homines creare ad interitum. Calvin. Instit. lib. 3. cap. 21. §. 5. *Non pari conditione creantur omnes, sed aliis vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur, itaque prout in alterum finem quisque conditus est, ita vel ad vitam vel ad mortem prædestinatum dicimus*. Beza in Colloq. Mompelg. pag. 529. *Odiu Dei contra illos (reprobos) in seipsis corruptos est justum, qui causis adductus, quas ipse solus novit, proposuit eos in hunc finem creare, ut in ipsis inimè & justitiam suam ostenderet, quos nunquam dilexit*. Piscat. de prædest. th. 24. *Et si Deus hominem creavit ad imaginem suam, tamen in uno creavit omnes non uno fine, sed alios quidem preparavit ad gloriam, alios v. coagmentavit ad interitum &c.* (fatemur tamè illos, qui *ἀπόρροια* lapsus reprobationis decreto substernunt ab hac assertionè sibi temperare.)

49. Contra hunc errorè disputavimus in tract. de elect. §. 101. hoc loco illud monemus, assertionè illâ heterodoxâ labefactari fundamentum consolationis ex formatione nostra in utero paternæ benevolentia teste petendum.

50. Quòd.

30. Quod si enim aliqui & quidem longè plurimi à Deo creantur & formantur ad interitum, sicut vasa quædam à figulo coagmentantur ad dedecus, utiq; ex articulo creationis non potest quisquam argumentum divinæ misericordiæ & paternæ benevolentia petere, semper enim dubitare cogitur, an non sit in numero eorum, quos Deus absoluto odio rejectos ad interitum formavit.

31. Sed aliud fuit Sanctorum de opificio creationis & formationis in utero iudicium. Jobus in gravissimis tentationibus erigit se consolatione ex hoc articulo fidei. *Credo in Deum Patrem creatorem &c.* petita, sic enim loquitur cap. 10. v. 8. *Manus tue plasmaverunt me & fecerunt me totum in circuitu & sic repente me abjicis?* v. 9. *Memento quaeso, quod sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me?* v. 10. *Nonne sicut lac me mulsisti & sicut caseum me coagulasti?* v. 11. *Pelle & carnibus vestivisti me, ossibus & nervis compegisti me.* v. 12. *Vitam & misericordiam fecisti mecum, & visitatio tua custodit Spiritum meum.* v. 13. *licet hæc celes in corde tuo, tamen scio quia universorum memineris.* (Refert D. Chemnicus in Postill. de D. Joachimo Morlino, q̄ hisce verbis ex Jobo petitis in acutissimis calculi doloribus sese crexerit) Propheta Regius idem beneficium grato corde celebrat & consolationem ex eo transumit. Pf. 139. v. 14. *Laudo te, quod stupendo modo & mirabiliter factus sum, mirabilia sunt opera tua & anima mea agnoscit hoc probissime.* v. 15. *non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto & compositionem meam in inferioribus terra.* Malachias paternam Dei benevolentiam ex illo beneficio elucere docet cap. 2. v. 10. *Nunquid non Pater unum omnium nostrum, nunquid non Deus unus creavit nos?*

32. Quinimò cum Deus nihil eorum oderit, quæ fecit Sap. 11. v. 25. idè ex articulo creationis colligitur, Deum freminem quenquam eorum, quos creat, absoluto quodam odio prosequi, vel absoluto decreto ad mortem reprobasse, aliàs in utero eum non formasset. August. ad artic. falsò sibi impos. art 3. *Omnium quidem hominum Deus creator est, sed nemo ab eo creatus est, ut pereat, quia alia est causa nascendi, alia pereundi. Ut nascantur homines, est beneficium; ut pereant, prevaricatoris est vitium &c.* Matth. 26. v. 24. de Juda proditore Christus dicit: *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. At si Judæ malitia & interit⁹ ex absoluto reprobationis decreto originem duceret, non fecisset Deus in creatione Judæ, q̄ erat melius.*

53. 3. Ex absolutæ reprobationis fonte profuit, quòd negant *Univerſali-  
tas meriti  
Christi.*  
meriti Christi Univerſalitatẽ, quam Remonſtratẽſes in Belgio  
ex Scripturis nobiſcum aſtruunt. Beza in Coll. Mompelg. pag. 514.  
*Intolerabilis nobis vox veſtra viſa eſt, Chriſtum eſſe mortuum pro dæ-  
monis part. 2. reſp. ad Colloq. p. 214. Coram Deo & tota Eccleſia  
teſtamur, figmentum illud, quòd Chriſtus pro omnium & ſingulorum  
peccatis ſatiſfecerit, inauditum & dilutum, blaſphemum, impium,  
falſum, inſuſum & in officina vertiginofi ardelionis primum eſſe fabri-  
catum.* Idem ſtatuuunt Zanchius, Bucanus, Piſcator & alii: quòs-  
dam tamen ab hac aſſertione alienos eſſe non diffitemur, ſed qui  
abſolutum reprobationis decretum propugnant, non poſſunt ſalvis  
ſuis hypotheſibus à Beza hic diſſentire.

54. Pareus inter articulos falſò Reformatiſ impoſitos primo lo-  
co numerat eum, quòd *Chriſtus non pro omnium hominum redemptio-  
ne ſit paſſus & mortuus* p. 243. Repetit autem diſtinctionem inter  
*ſufficientiam & efficaciam*, aſſerens, *Chriſtum quoad ſufficientiam pro  
omnibus, quoad efficaciam pro ſolis electis eſſe mortuum.*

55. Sophiſticum illud latibulum excuſſimus in tractat. de Ele-  
ctione §. 115. ubi oſtendimus, non hoc velle adverſarios, quòd Chri-  
ſtus ſua obedientiã & ſatiſfactione, quantum in ipſo eſt, reverã om-  
nes redemerit ac pro omnium hominum peccatis ſatiſfecerit,  
quòd autem non omnes fiant ejus gratiã ac meriti participes, ejus  
rei cauſam reſidere in ipſorum culpa, quia ſc. fide Mediatori non  
adhærent, (quo ſenſu Gerſ. lib. 1. de conſol. Theol. prof. 4. Lomb.  
3. ſent. diſt. 20. lit. C. Thomas in cap. 5. Apocal. Biel. 3. ſent. diſt. 19.  
q. un. art. 2. &c. diſtinctione illã orthodoxè uruntur) ſed ſenſu lon-  
gè diverſo diſtinctionem illam urgent, eò nimirum, quòd morti  
Chriſti non defuiſſet quidem valor ac vis expiandi omnium pecca-  
ta, ſi ad hoc à Deo fuiſſet deſtinata, verũ hoc conſilium & hanc vo-  
luntatem nec Deo nec Chriſto unquam conſtituiſſe. *Si vim ſangui-  
nis reſpicias*, inquit Bucanus loco de prædeſt. p. 395. *ad redemptionem  
omnium ſufficit: ſi verò pro poſitum conſiliumq; Dei æternum, volun-  
tatemq; Mediatoris, pro ſolis electis eſt mortuus.*

56. Sic ergo cauſam hujus rei, quòd meritum Chriſti non ſit  
apud omnes efficac, quærunt in abſoluto quodam reprobantiſ Dei  
odio ac decreto, ac reverã ſtatuuunt, meritum Chriſti eſſe duntaxat  
particulare pro paucis quibuſdam, illis ſc. qui abſoluto decreto ele-  
cti priùs fuere, re ipſã præſtitum, unde etiam Beza p. 2. reſp. ad Col-  
loq.

10q. p. 217. dicit, *in hac distinctione esse meram tergiversationem*, ac Piscator. de prædestinat. thel. 109. expresse eam improbat, scribens, *pro reprobis nullo modo Christum esse mortuum sive sufficienter dicas sive efficienter.*

57. Quæ errori isti opponenda sunt argumenta, exposuimus d. tract. §. 106. & seqq. hoc loco illud monemus, positâ meriti Christi particularitate ex absoluto Dei decreto dependente, vivificæ consolationis fundamentum tolli.

58. Quod si enim pro quibusdam duntaxat absoluto decreto electis Christus mortuus est, pro reliquis verò absoluto odio reprobatis non est mortuus, nunquam quisquam certus esse poterit, beneficia passionis ac mortis Christi ad sese pertinere, quia semper dubitare cogitur, an sit in illorum absolutè electorum numero. Atqui sublata certitudine de beneficiis Christi ad nos in specie pertinentibus, tollitur omnis vivificæ consolationis fundamentum.

59. Quando opponimus Adversariis evidentiâ Scripturæ dicta, quæ testantur pro ipsis etiam pereuntibus Christum esse mortuum, 1. Corinth. 8. v. 11. 2. Pet. 2. v. 1. Hebr. 6. v. 4. cap. 10. v. 29. &c. respondere solent *κατὰ δόξαν τὴν ἐα accipiendam esse*, quòd scilicet & ipsorum & aliorum opinione Christus pro ipsis fuerit mortuus. At semel admisa illâ licentiâ, ut ea quæ *κατὰ ἀλήθειαν ἢ ὄντως* facta à Spiritu S. in Scripturis asseruntur, ad nudam *δόξαν* referantur, ecquid in Scripturis certi relinquetur, & quod solidum ex illis consolationis fundamentum peti amplius poterit?

60. Ceterum quia hoc loco agere cœpim⁹ de Christi merito, quomodo per corruptelas suas Adversarii illud ad paucos absoluto decreto electos restringant, age consideremus etiam reliquas corruptelas, quibus efficaciam illius meriti ac proinde etiam consolationis Evangelicæ fundamentum enervent.

Christi divinitas.  
61. Neq; verò morosè hoc loco urgebimus, quòd arma subministrant adversariis Photinianis divinitatē Christi negantibus. quâ negatâ meritum & satisfactio Christi statim negatur, i. dum ea, quæ Christo in tempore ex gratia asseruntur data, secundum divinam Naturam ei data esse statuunt, jam v. *si Deitati potestas additur, si illustrata dignitas, si exaltata sublimitas, minor erat provehente, quæ crevit, nec habebat divitias ejus Naturæ, cujus indignit largitate, qualia sentientem in societatem suam Arius rapuit*, ut loquitur Leo Epist. 22.

62. 2. Dum

62. 2. Dum Christum secundum divinam Naturam ad dextram Dei in tempore evedtum esse statuunt, unde promptè inferre possunt Photiniani. Secundum quam Naturam Christus ita sedet ad dextram Dei, ut ad eandem in tempore sit collocatus, secundum eandem non est essentialiter ipsa dextra Dei. At juxta Calvinianos Christus secundum Deitatem vel quod idem est Deitas Christi, ita sedet ad dextram Dei, ut ad eandem in tempore sit collocatus. Ergo Christus secundum Deitatem vel quod idem est Deitas Christi non est essentialiter ipsa dextra Dei, & per consequens non est essentialiter summa & infinita potentia.

63. 3. Dum precipua & fundamentalia dicta, ex quibus vera Christi Deitas probatur, dilutis suis glossis enervant. Vide Calv. in comm. Pf. 2. ubi generationem Filii de gloria manifestatione exponit (ad quam explicationem se refert Ostorod. in Instit. Germ. c. 7. p. 53.) in comm. Mich. 5. ubi egressum illum Messiae ab initio à diebus seculi refert ad decretum Dei non autem ad aeternam Filii Dei generationem & subsistentiam. in comm. Joh. 10. ubi *abusos illo loco dicit esse veteres ad novitates* Filii cum Patre probandam (ad quam explicationem se refert Blandrata in Colloq. Transylv. in act. diei 2.) in comment. Coloss. 1. & Hebr. 1. ubi disputat, Christum dici imaginem Patris respectu nostri, quia Dei voluntatem nobis manifestat (ad quam explicationem provocat Ostorod. Inst. c. 20. p. 141. in comm. 1. Joh. 5. ubi unitatem Patris, Verbi & Spiritus ad consensum non a. ad essentiam refert, ac tres illos testes caelestes eodem sensu dicit esse unum, quo sanguis, aqua & Spiritus unum dicuntur. Plura hujusmodi exempla collegit D. Hunnius in Calv. Judaiz. ac Antiparso. Legatur etiam caput. 3. in admonitione Pelargi adhuc orthodoxi recentibus. Arianis opposita, cujus titulus est. *Sacramentarios ab Arianis non semel in testimonium vocari*: Unde & Vorst. in resp. ad p. 2. discept. Sladi p. 36. agnoscit, *multa fulcra Scripturae se loca Trinitatis dogmati subtraxisse Calvinum*.

64. 4. Dum ex talibus axiomatibus nostram de persona Christi & sacra Coena doctrinam oppugnant, quae si ad mysterium Trinitatis afferuntur, illud ipsum evertunt. *Quae realiter unum sunt* (inquiunt) *eorum communicato uno necesse est communicari alterum*. Aeternitas & omnipotentia sunt realiter unum. E. communicato uno, videlicet omnipotentiam, necesse est etiam communicari alterum, videlicet aeternitatem, quae cum Christo homini communicata non sit, relinquatur, nec omnipotentiam

illi communicatâ esse. At ex eodem principio argumentari possunt Photiniani. *Quæ realiter unum sunt eorum uno communicato necesse est communicari alterum.* Hypostasis & essentia divina in Patre sunt realiter unum. Ergo communicato uno videlicet essentia necesse est communicari alterum, videlicet hypostasin, quæ cum Filio communicata non sit, relinquitur nec essentiam ei à Patre per generationem esse communicatam. Sic negant dari tertium inter prædicationem essentialem & accidentalem, quando contra nos eo modo argumentantur. *Omnipotentia, quæ statuitur Christo secundum carnem data aut essentialiter aut accidentaliter de ipso prædicatur.* Sed neutro modo. Ergo planè non prædicatur. Eodem modo ex eodem principio Photiniani argumentari possunt. Gignere Filium aut essentialiter aut accidentaliter de Patre prædicatur. Sed neutro modo. *Quot sunt modi essendi (inquiunt) tot sunt essentia.* Sed corpus Christi non habet plures essentias, sed unam duntaxat essentiam. Ergo nec plures essendi modos. Ex eodem principio Photiniani argumentari possunt. *Quot sunt modi essendi, tot etiam sunt essentia.* Sed in divinis non sunt plures essentia. Ergo nec plures modi essendi. *Omnis propositio (inquiunt) in qua nec genus vel differentia, vel proprium vel accidens dicitur de specie, nec species de individuo, ea est figurata. In hac propositione, Panis est corpus Christi, nec genus vel differentia, vel proprium vel accidens prædicatur de specie, nec species de individuo. Ergo est figurata.* Atqui ex eodem principio Photiniani evincere poterunt, propositiones illas *Deus est homo, & Homo est Deus,* esse figuratas. Huc pertinet disputatio Marpurgenfis de *metaphorica Filii generatione*, quæ Deum metaphoricum tandem introducit.

65. 5. Dum exinanitionem & exaltationem Phil. 2. descriptam etiam ad divinam Naturam referunt, Beza part. 1. resp. ad Colloq. Momp. p. 96. Sohnius in exeg. p. 246. Anhaltini in Apolog. Germ. contra Electorales p. 417. Jacob. ad Port. defens. fid. p. 209. ex quo promtè inferent Photiniani. Secundum quam Naturam Christus per *κένωσις* Phil. 2. descriptâ verè exinanitus & per *ὕψωσις* verè exaltatus, secundum eandem non est verus Deus, quia Deitas nec minui nec augeri nec exinaniri nec exaltari propriè potest. Item de illa Natura secundum quam Christus dicitur esse in forma Dei, non rectè dicitur, quòd secundum eandem sit ipse Deus. Aliud enim est esse ipsum Deum sive formam Dei, aliud esse in forma Dei. Atqui  
juxta

juxta hypothesin Calvinianorum Christus secundum divinam Naturam dicitur esse in forma Dei, Ergo non erit ipse Deus. Forma servilis & forma Dei in textu Apollotico sibi invicem opponuntur. Si ergo Christus in exinanitione assumpsit formam servilem, abdicavit se formam Dei, quæ, si est ipsa Deitatis Natura, consequens fuerit, Christum ipsam Deitate se in assumptione servilis formæ abdicasse, h. e. Deum esse desuisse.

66. 6. Dum quidam ex illis statuunt, Patrem dici Deum  $\epsilon\iota\sigma\chi\alpha\iota$  Calvin. lib. 1. Instit. cap. 13. §. 23. Zanch. lib. 1. de trib. Elohim cap. 3. lib. 5. cap. 6. Sohn. tom. 2. Exeges. p. 123. ubi occurrunt tales assertiones, *Pater est principaliter Deus, nomen Dei prius de Patre predicatur quam de Filio.* Vorstius in schol. ad comm. Sib. Luberti pag. 4. *Patri tribuitur titulus Dei us plurimum, id est ob Principatum originis.* tract. de Deo p. 185. *Scripturæ si utrunque ( Patrem & Filium ) Deum vocant, illi tamen aliquam peculiarem notam apponunt indicem illius Principatus, qui in Patre solo reperitur.* Sic Iohann. 1. v. 1. dicitur cum articulo, *Et Sermo erat apud  $\tau\omicron\upsilon\varsigma$   $\delta\epsilon\iota\omicron\upsilon\varsigma$  videl. Patrem, qui  $\epsilon\iota\sigma\chi\alpha\iota$  solet appellari Deus.* Bullingerus in lib. de Script. & Eccles. autoritate approbat illud Terulliani *Christus à Deo Patre non statu, sed gradu; non subsistentiâ, sed formâ; non potestate, sed specie differt.* Bullingerum nititur defendere Thom. Morfonus in Apolog. Cathol. p. 189. Caspiano lib. 1. Locorum cap. 15. sect. 3. progreditur ulterius, *Filium esse secundum à Patre non ordine solum, sed & dignitate, quoniam origo essendi Pater ipse est.* Ex his promtè inferent Photiniani. Ubi cunq; est  $\epsilon\iota\sigma\chi\alpha\iota$ , ibi inæqualitas. Ubi gradus & dignitatis diversitas, ibi non datur essentia & honoris identitas.

67. 7. Dum quidam statuunt, *Christum dici Filium Dei, quia est à sp. sancto conceptus.* Zanch. lib. 2. de Natura Dei c. 1. p. 63. part. 2. lib. 1. de tribus Elohim cap. 3. p. 487. Sohn. in exeg. p. 117. Ursin. in explic. Catech. part. 2. q. 33. p. 246. Jacob. ad Portum in def. orth. fid. cap. 23. p. 230. Cupidè hoc arripient Photiniani & ex hac hypothesi ad argumenta nostra pro divinitate Filii ex isto principio allata respondebunt.

68. 8. Dum quidam ex illis statuunt, Christum non secundum humanam duntaxat Naturam, sed etiam ut personam missam & respectu officii esse Patre inferiorem. Calv. in opusc. f. 944. *sententia Christi Pater major me est, restricta fuit ad humanam ejus Naturam.* Ego verò non dubitò ad totum complexum extendere, quia tametsi Deus sit aternus,

mus, cum tamen ad nos descendit, medius esse coepit inter Deum & nos; quem Calvinus locum adducit Vorltius part. 2. resp. ad Sladam p. 12. & ex eo concludit totum Christum, quatenus Mediator est, esse Patri subordinatum tanquam suo non modo auctori & genitori, sed etiam capiti ac Domino. Idem habet Grynaeus in disp. de dicto Christi, Pater major me est, Heidelb. Anno 85. th. 6. 1421. Sohn, tom. 2. exeg. p. 223. Piscat. volum. 1. thesium p. 221. At si nullâ ratione & respectu Christus secundum divinam Naturam Patre est inferior, non erit ei omni-modè æqualis.

69. 9. Dum negant propriè loquendo Naturam divinam Filii esse incarnatam, sed duntaxat personam, cum persona sit Filii propria sed Natura divina ipsi communis cum Patre & Spiritu sancto. Beza part. 1. resp. ad Colloq; Mompelg. p. 183. Zanch, lib. 2. de incarn. Filii q. 1. p. 106. Sohn, in exeges. p. 192. Danæus contra Chemn. p. 82. At hac ratione introducetur reale discrimen & per consequens compositio in ipso *Δῶν*, hac etiam ratione negabitur Christum esse Deum incarnatum, duas Naturas divinam & humanam esse personaliter in Christo unitas.

70. Hęc & similia non urgebimus hac vice contra adversarios, sed monemus duntaxat, ut cum divinitatem Christi adversus *Σομμάχους* nobiscum confiteantur & propugnent, diligenter caveant sibiq; temperent ab illis, quæ ad oppugnandam Filii *Σεβέρα* & sic consequenter ad negandum satisfactionis à Christo præstitæ mysterium à Photinianis adhiberi possunt.

*Passio ad  
torū Chri-  
stum perti-  
net.*

71. Illud verò sicco pede præterire non possumus, quòd sinceritatem doctrinæ de merito Christi & consequenter etiam consolationē in ea nobis propositam, aliis etiam modis labefactent. 1. dum statuunt *Passionem Christi ad solam ipsius carnem pertinere*, unde propositionē illā, *Deus est passus*, Synecdochicam esse disputant. Est hæc allocosis Zvingliana juxta Lutherum tom. 3. Germ. Jen. fol. 455. pro *Diaboli larva* habenda, quam tamen Adversarii strenuè propugnant. Conf. Orthod. p. 18. & 122. *Deus passus ac mortuus est realiter quatenus homo est, sed nominatenus quatenus Deus*, quod repetunt Neostad. in admon. p. 250. Beza resp. 1. ad acta Coll. p. 19. 87. 107. 123. scribit: *Prædicationes illas, quibus Dominus gloria crucifixus dicitur, & ceteras ejus generis, si sensu proprio accipiantur, non reales, sed verbales tantum esse*. Martinius in Spic. p. 184. *Humana Natura tantum mortua est & c.* (ubi vitiosè opponuntur *Natura humana & persona* *ἡ Ἀῶν.*)

72. Atqui



72. Atqui actiones & passiones tribuendæ sunt personæ, sunt enim suppositorum & totorum non propriè loquendo partiū & formatū sive potentiariū. Arist. 1. de anim. cap. 3. Thom. 2. 2. q. 58. art. 2. Compositæ substantiæ insunt omnes actiones & passiones, sed propter Naturas, ex quibus sunt compositæ.

73. Neq; hic talem agnoscimus ἀλλοθίσιν ac Synecdochen, quales adversarii introducunt, per quā virtus & efficacia meriti Christi evacuatur, ac proinde omnis consolationis fundamentum labefactatur.

74. Si in una lance (scribit Luth. tom. 7. Jen. Germ. p. 264. in lib. de Conc. & Eccles.) appendantur peccata nostra & ira Dei peccatis debita ac in altera lance ponatur tantum humane Naturæ mors aut homo tantum pro nobis passus, tunc altera lanx deprimi nos ad infernum usq; Quod si verò in adversa lance ponatur Dei mors, Dei passio, Dei sanguis seu Deus pro nobis mortuus ac passus, tunc gravior & ponderosior fiet lanx ista, quam omnia peccata nostra & universa Dei ira.

75. Passio solius carnis, quantumvis justissimæ pro se non satisfacit, pro aliū minus, pro toto mundo minimè, scribit rectissimè Franc. Jun. defens. 1. Cathol. doct. Trin. contra Samosar. sect. 29. Quod si ergo propositiones illæ Deum esse passum carne 1. Pet. 4. v. 1. Deum effudisse suum sanguinem, Act. 20. v. 28. Dominum gloria crucifixum esse, 1. Corinth. 2. v. 8. &c. sic resolvendæ & intelligendæ sunt, quod sola caro sit passa, crucifixa & sanguinem effuderit, labefactabitur infinitum satisfactionis à Christo præstitæ pondus.

76. Certè per μεταλλογίαν illam Calvinus eò abreptus fuit, ut scriberet lib. 2. Instit. cap. 17. sect. 1. Equidem fateor, si quis simpliciter & per se Christum opponere veller iudicio Dei, non fore merito locum quia non reperiretur in homine dignitas tanta, quæ possit Deum promereri. Quæ verba omnium piorum odio & detestatione digna sunt, cum fundamentum consolationis in infinita meriti Christi efficacia ad dignitate repositum penitus labefactent.

77. Recte igitur à sociis suis in hac quæstione discedit Vorstius, quando in resp. ad 2. part. discept. Sladi p. 16. sic scribit: Totū & integrum θεῶν πον verè passum & mortuum esse sacris literis consentienter scripsisse me credo, Collat. cum Piscat. p. 126. cum passum ipsum unigenitū ac propriū Dei Filiū, hominē jam factū, eog totū θεῶν πον pro nobis passum ac mortuū esse legamus. Hanc tu sententiā (ut quidē apparet) si negas, aut dimidiū illū aut nullo modo passū ac mortuū esse statuas necesse est. Hoc certè  
impium.

impium est & sacri literis aperiè contrarium. Illud manifestè Nestorianum, quippe quod Christi personam dividit & in duas quodammodo discepit. Atqui ut actiones sic & passiones tantum suppositorum sunt, eoꝝ utut secundum alteram tantum Naturam Filii Dei passus sit, rectè tamen totus respectu personæ passus esse dicitur. Hæc omnia Vorstius.

Abib. eobæ.  
dientia  
Christi.

78. 2. Dum quidam ex ipsis activam Christi obædientiam à meritoria justificationis & salutis nostræ causa excludunt. Piscator Herborenensis, Martinius, Goclenius, Ravenspergerus &c. qui eò progrediuntur, ut scribant, *Christum ut verum hominem jure creationis pro seipso debuisse Deo obædientiam, quapropter illi nihil nobis promeruisse, quos tamen reliqui in hoc doctrinæ capite oppugnant.* Videatur Carletanus de conf. Eccles. Cath. part. 3. de Justif. cap. 3.

79. Quæ errori isti evertendo inserviant argumenta, expositum fuit in tract. de Flæst. §. 60. & seq. hoc loco illud monemus, quòd opinio illa sufficientiam meriti Christi & omnem in ea repositam consolationem nobis adimat.

80. Absq; perfecta legis impletione non habet locum justitia vera & perfecta coram Deo valens. Aut ergo Christus pro nobis implevit legem, aut nos adhuc obstricti tenemur ad eam perfectè implendam. Posterius in hac Naturæ infirmitate nobis à *divinator*. Negato igitur etiam priorè, nondum parta ac parata nobis erit vera & perfecta coram Deo valens justitia.

81. Si excipere velint, *Legem obligare aut ad pœnam aut ad obædientiam*, jam verò Christum pro nostris peccatis in ara crucis passum ac mortuum sustinuisse pœnas à nobis promeritas, proinde non fuisse necesse, ut obædientiam legi nostri loco præstaret.

82. Breviter respondemus, Lex obligat aut ad pœnam aut ad obædientiam in sensu disjuncto creaturas racionales nondum in peccatum prolapsas, exempli gratia, Adamum ante lapsum in statu innocentix tantum obligavit ad obædientiam, non autem ad pœnam, nisi sub conditione inobædientix: sed creaturas racionales in peccatum prolapsas lex obligat & ad pœnam & ad obædientiam in sensu conjuncto: ad obædientiam ideo, quia sunt creaturæ racionales Deo creatori ad servitium obstrictæ; ad pœnam ideo, quia sunt in peccatum prolapsæ. Sic Adamus post lapsum cum omnibus suis posteris & ad obædientiam & ad pœnam obligatur, neq; enim juri prioris obligationis per lapsum quicquam decessit, sed potius nova obligatio ad pœnam accessit.

83. Quod

83. Quod si igitur Christus poenam duntaxat peccatorum nostrorum in se recepit, non autem nostri loco perfectam obœdientiam legi præstitit, utiq; consequens est, aut à nobisipsis præstandam adhuc esse perfectam legi obœdientiam, per quam coram Deo iustificemur, aut à iustitia & salute æternum nos fore exclusos.

84. Sed redeamus ad hypothesein absoluti decreti, ex qua potest provenire dicimus, quòd provocationem per verbum Evangelii negant esse Universalem. Quos enim absoluto decreto rejectos ac reprobatos statuunt, illos vel planè non vocari vel non efficaciter vocari statuunt. Beza p. 2. resp. ad Colloq. p. 96. 149. 222. Martyr in cap. 9. Rom. Bucanus in Instit. p. 403. Sic ergo ut gratiam Dei miserentis & meritum Christi redimentis, ita quoq; beneficium Spiritus S. vocantis per absolutam quandam particularitatem ex abscondito Dei decreto dependentem ad paucos duntaxat restringunt.

85. Nos concedimus vocationem fieri particularem culpâ hominum primò quatenus quidam Epicuræo contemptu verbum aspernantur, quidam etiam persequuntur & violentè à se repellunt; deinde quatenus culpâ majorum amissum verbum non semper in omnibus ubiq; locis ac gentibus prædicatur, negamus verò particularitatem illam vocationis ex absoluto quodam reprobationis decreto provenire, negamus etiam vocationem ex tali quodam absoluto decreto apud homines inefficacem reddi, sed unicè in hominibus causam & culpam quærendam esse dicimus.

86. Hanc sententiam nostram de Universalitate vocationis demonstravimus ex manifestis Scripturæ dictis Matth. 11. v. 28. Marc. 16. v. 15. Actor. 17. v. 30. Esa. 65. v. 2. Prov. 1. v. 24. &c. in tract. de elect. §. 124. & seqq. hoc loco illud urgemus, quod per istam adversariorum hypothesein nervi consolationis salutaris inciduntur.

87. Si enim vocatio sensu Calviniano particularis statuitur, quod scilicet absoluto Dei decreto quidam sint rejecti, quos Deus absolutè nolit converti ac salvari, licet verbum illis offeratur, utiq; ex vocatione non potest colligi, quòd gratia Dei & meritum Christi ad illos omnes pertineat, quibus in verbo offertur, semper enim dubitare cogitur vocatus, an sit ex illorum absolutè reprobatorum numero, quos Deus absolutè nolit converti ac salvari.

D

88. HÛg

Vocatio interna & externa; efficax & inefficax.

88. Huc pertinet, i. quod distinguunt inter vocationem internam & externam; inter vocationem efficacem & inefficacem; dicunt exterius multos vocari per verbum, quos tamen interna & efficaci vocatione Deus nolit dignari propterea quod sint absoluto decreto reiecti. Calv. lib. 3. Instit. cap. 24. §. 8. Beza vol. 1. tract. Theol. p. 190. Rennech. in aurea salutis catena p. 168.

89. Pareus in Irenico cap. 28. art. 7. p. 260. distinguit inter seriam invitationem & efficacem gratiam. Sed quomodo potest externam illam vocationem verè & ex animo appellare seriam invitationem cum propugnet absolutum reprobationis decretum? Quod si enim Deus quibusdam duntaxat, absolute scilicet electis, animo communicandi offert in verbo suam gratiam, quomodo generalis & externa vocatio ipsos reprobos complectens potest dici seria invitatio?

90. Hac distinctione sensu Calviniano accepta itidem labefactantur Evangelicæ consolationis fundamenta. Si enim ex vocatione externa non potest certi quid statui de voluntate Dei, (quod serio in illis, quos exterius vocat, per Spiritum sanctum interius fidem & conversionem efficere velit, nisi scil. ipsimet Spiritui sancto resistent) utiq; vocatio per verbum Evangelii nullam amplius suppeditare poterit firmam consolationem. Si causa huius rei, quod vocatio non est in omnium cordibus efficax, in absoluto reprobationis decreto quæritur ac statuitur, nemo certus esse poterit, se efficaciter & interne à Deo vocatum iri.

Dolus bonus, simulatio sancta.

91. 2. Quod dolo bono & simulatione sancta fieri dicunt, ut offeratur quibusdam in verbo exterius Dei gratia, quos tamen juxta voluntarem absconditam & occultam ad æternum exitium absoluto odio reprobaverit, Beza p. 2. resp. ad Coll. Mompelg. p. 174. Pisc. in resp. Apologet. ad Vortium p. 201. At præterquam quod hac ratione Deo in negotio salutis nobiscum agenti hypocrisis tribuitur, quasi exterius promissionibus benignissimis testetur se hominibus bene velle, quos occultâ & absconditâ voluntate ex absoluto odio ad exitium destinaverit, denuò consolationis fundamenta hoc modo labefactantur.

92. Si enim dolo quodam bono & simulatione sancta in negotio salutis Deus uritur, nulla ex verbo potest peti certitudo de seria & beneficiâ Dei voluntate.

93. 3. Quod Christum ut hominē aliud verbo prædicasse, ut Deum *Christum*  
aliud occultasse asserunt, quando Matth. 23. v. 37. inquit: *Jerusalem* ut hominē  
*quoties volui congregare liberos tuos, & nolulistis,* ac quando lachrymis  
exitium Judæorum deplorat Luc. 19. v. 41. Piscator de prædest. th. *aliud præ-*  
94. Quod ad locum Matth. 23. attinet. *ibi Christus loquitur non ut Deus,* *aliud oco-*  
*sed ut homo, videl. ut minister circumcisionis seu Propheeta missus ad populum* *cultasse.*  
*Iudaicum, qui voluntate humana singulos sibi oblatos in regnum Dei congre-*  
*gare prædicatione verbi studuit: at hoc non obstat, quin interim acquieverit*  
*in beneplacito Patris, ex quo mysteria regni cælorum à nonnullis occultavit,*  
*imò quin beneplacitum illud, ut Deus cum Patre commune habuerit. Idem*  
*in observ. 24. in cap. 23. Matth. Moraliter nunquam voluntas humana*  
*Christi contraria fuit aut est voluntati ejus divine, quia Christus nunquam*  
*voluit voluntate humana, quod mente humana sciret Deum non velle. At*  
*Logicè contraria interdum fuit, quatenus Christus voluntate humana voluit,*  
*quod divina voluntate noluit, puta conversionem Iudeorum.*

94. Atqui si in negotio salutis voluntate humana Christus  
aliquid voluit, quod divinâ voluntate noluit, utiq; ex verbis Chri-  
sti de voluntate Dei in salutis negotio nihil certi concludi poterit,  
semper enim recurret exceptio, loquitur Christus ut homo de vo-  
luntate sua humana non ut Deus de voluntate sua divina. Quæ  
igitur superstes erit ex verbis Christi consolatio, quæ salutis certitudo?

95. 4. Quod *promissiones Evangelii negant esse Vniversales, hoc est, Universales*  
statuunt ad illos solum pertinere Evangelii promissiones, qui sunt *tas promif-*  
absoluto Dei decreto electi, ad reliquos vero non pertinere, licet *sionum.*  
externis illis offerantur.

96. Pareus in Irenico cap. 28. art. 10. p. 263. dicit, *hanc accusa-*  
*tionem provenire ex ignorantia Scripturæ, quæ promissiones Evangelii faciat*  
*Vniversales non absolutè tam infidelium quàm fidelium respectu, sed limita-*  
*tè ratione omnium credentium, quibus omnibus & solis justitiam & vitam*  
*æternam promittunt.*

97. Resp. non est quæstio de applicatione promissionum Ev-  
angelicarum, quæ fit per fidem, quâ soli credentes beneficia in  
Evangelio oblata amplectuntur, eorumq; participes sunt, sed quæ-  
stio est de ipsis promissionibus ex Dei intentione & voluntate  
ipius antecedente consideratis, an scilicet in se & ex se consideratæ  
sint Universales, an verò particulares.

98. Ut clarius dicam, Adversarii statuunt, Deum absoluto quodam decreto quibusdam denegare fidem, quâ promissionem gratiæ ad salutem amplectantur, ac proinde ad illos non pertinere Evangelicas promissiones, si vel maximè exterius eis offerantur. Nec possunt salvis suis hypothesibus aliter statuere. Si enim Christus pro solis absolutè electis mortuus est, utiq; promissiones Evangelii, in quibus beneficia mortis Christi hominibus offeruntur, ad illos solos absolutè electos ex Dei intentione & voluntate pertinent.

99. Nos contra statuimus, Deum serió velle, ut omnes convertantur & oblata in promissionib; Evangelicis Christi beneficia amplectantur, serió etiã velle Deum per verbũ Evangelii in cordibus hominum fidem accendere, sed multos ex illis Spiritui sancto pertinaciter resistere, atque hac ratione seipfos fructu promissionum Evangelicarum privare.

100. At si promissiones Evangelii sensu Calviniano particulares statuuntur, quod scilicet sint quidam absoluto Dei decreto reje-cti, ad quos non pertineant Evangelii beneficia, licet exterius eis offerantur, labefactatur fundamentum consolationis ex promissionibus Evangelii hauriendæ, semper enim dubitare cogor, an sim in numero illorum absolutè electorum, & per conseq. an ad me pertineant Evangelii promissiones?

101. Regerit Pareus in Iren. cap. 24. art. 6. p. 142. *Promissiones gratiæ sunt Universales, pertinentq; ad omnes, quoad prædicationem, invitationem & mandatum credendi, ad solos verò credentes quoad applicationem, efficaciam & fructum, quia soli credentes fide sibi eas applicant & fructum earum percipiunt.* Resp. hæc rectè quidem dicuntur, sed à Pareo malè intelliguntur. Stante enim absoluto reprobationis decreto non potest aliter statuere, quàm prædicationem, invitationem & mandatum credendi accipiendum esse duntaxat de voluntate signi & revelata, interim voluntate beneplaciti & abscondita Deum à fide & conversione, à salute & mediis salutis quosdam absolutè exclusisse; Item quoad externam vocationem Universales esse promissiones gratiæ, interim verò quoad internam vocationem absoluto Dei decreto esse particulares: Item causam hujus rei primam & summam, quod paucis quibusdam promissiones Evangelii applicentur, quærendam in absoluto Dei decreto

creto, quo ab aeterno constituerit, illis salutem & media salutis denegare.

102. 5. Quod negant, per *semen mulieris* in prima promissione Evangelica Gen. 3. intelligi solum Christum. Calv. in comm. Beza in absterf. calumn. Hefsh. f. 336. Pareus in defenf. Calv. quâ ratione prima promissio Evangelica, quæ est reliquarum omnium basis ac fundamentum, in alienum sensum detorquetur ac solidum consolationis Evangelicæ fundamentum evertitur.

103. 6. Quod *ministerium externum ab interno* separent, cum tamen non sit nisi unum Spiritus sancti ministerium. Cum enim statuunt quosdam eorum, quibus in ministerio verbi & Sacramentorum offertur Dei gratia & Christi meritum, absoluto quodam Dei decreto reiectos esse, inde nefariam illam ministerii interni & externi separationem introducunt, statuentes externo quidem ministerio absolutè reprobatis beneficia illa offerri, sed internum Spiritus sancti ministerium ad illos nulla ratione pertinere. Grynaeus in disp. Heidelberg. Anno 84. thesi 6. apher. 4. *Ministerio externo ejus cobonestandi ergo phrasi Sacramentali effectum ministerii interni tribuitur.* Beza part. 2. resp. ad act. Colloq. p. 115. *Verbum illud ipsum quod auribus nostris insonat, semen vitæ à Petro nuncupatur & Paulus Timotheo suo scribens, Hac, inquit, docens te ipsum servabis & eos qui te audiunt; non certè ut signis ullo modo attribueretur, quod est unius Spiritus sancti opus, sed ut usum & efficaciam signorum commendarent, sæpè sic de signis locuti sunt, ut quod unius est divinæ virtutis, videantur illic quasi subordinatis, ut illi (collocutores nostræ partis intelligit) volunt, instrumentis attribuere, p. 117. Illustræt sane mentes divina illa doctrina, sit sermo Dei vivus quovis gladio penetrantior, nulla tamen vis spiritualis & intrinseca existimanda est illis indita, sed illa de ipsis dicuntur, habita sacræ & divinitus ordinata illorum ratione, quod videlicet Dei Spiritus solus suâ vi intus præstet ea, quæ per vocem hominum declarat & tum verbis tum adjunctis visibilibus signis significat. Nec aliter intelligenda sunt Patrum dicta ministerium Evangelii commendantium à benedictione, quæ Dei unius in solidum propria est, non autem aliquid divini sue plantationi & rigationi vel ædificationi vel verbis suis ultra significationis usum attribuentium.*


104. Atqui si ministerium internum ab externo eâ ratione (non

dicō distinguitur, sed) sejungitur ac separatur, ut externo verbi ministerio non possit nec debeat tribui, quod sit *ὄχημα*, medium ac instrumentum, per quod Spiritus sanctus illuminationem, regenerationem & conversionem in omnium eorum cordibus, qui non hostiliter ac pertinaciter repugnant, operari velit, sed finguntur quidam absolute reprobati, ad quos internum illud ministerium ex absoluto & abscondito quodam Dei odio non pertineat, sed externum ministerium illis sit nudum signum, utiq; tollitur omnis consolatio ex ministerio verbi petenda.

105. Et quid multis? Piscator de prædest. thes. 85. sic docet colligere. *Gratia nonnullis offertur animo communicanti. Ergo fieri potest, ut ego sim in illo numero.* At miserum hoc est solatium cum periculo desperationis conjunctum. Ex puris enim particularibus nihil certi concludi potest, ac proinde tentatus perpetuo dubitare coetur, an sibi quoque animo communicandi offeratur Dei gratia. Quinimò invertet argumentum. Gratia quibusdam offertur non communicandi animo, illis scilicet qui absolute decreto sunt reprobati. Ergo fieri potest, ut sim ex illorum numero.

106. Idem observ. 24. in cap. 23. Matth. sic scribit: *Prædicatio verbi est illa quidem signum, quod Deus velit homines convertere, sed non est signum quod velit convertere singulos, sed aliquos ex illis, quos per verbum promiscuè vocat, interim verò officium singulorum est, ut statuunt se esse in numero illorum, quos Deus convertere velit, ac proinde ut sese Deo vocanti præbeant obsequentes, non autem rejiciant consilium Dei, hoc est, prædicationem testificantem ipsis saltem probabiliter de gratioso consilio Dei in adducendis ipsis ad salutem.*

107. Atqui si prædicatio verbi probabiliter tantum testificatur de gratioso Dei in adducendis hominibus ad salutem consilio, tollitur omnis certitudo consolationis ex Evangelii prædicatione haurienda. De reliquis proximè.





DISP. IV.











00 A 6341

ULB Halle

3


002 919 516



W 02

Repro ✓







3  
DEO TER OPT. TER MAX.  
ANNUENTE

*Disputationum Theologicarum,*

IN QUIBUS FUN-  
DAMENTA VERÆ ET  
VIVIFICÆ CONSOLATIONIS PER  
Pontificias, Calvinianas ac Photinianas do-  
ctrinæ cœlestis corruptelas labefactari,  
ostenditur,

TERTIA.

Ad publicam συζητησιν  
proposita

JOHANNE GERHARDO  
S. THEOLOGIÆ DOCTORE ET  
in Academia SALANA Professore,

QUAM

*defendendam suscipiet*

DAVID TANCKEN WISMA-  
RIENSIS MEGAPOLITANUS,

*Ad diem Aprilis,*

Horis & loco destinatis.

ANNO M. DC. XVII.

JENÆ

Typis TOBIÆ STEINMANNI,